

*Obs.* Species valde affinis *I. similatorio* (nostro); feminas quidem utriusque speciei ab invicem distinguere facile est propter *I. similatorii* ♀ aream mesonoti superomediam angustam et apice emarginatam, dum *I. Coqueberti* ♀ area superomedia latiuscula et costa recta vel subrecta apice oclusa est. Antennæ in *I. simil.* ♀ post mortem involutæ sunt, in *I. Coqueb.* ♀ autem incurvatæ. Areæ metanoti laterales sæpius costa sat distincta discretæ. — Hæc Species ab auctoribus, ut mihi videtur, cum *I. similatorio* nostro confundenda est (confr. TISCHBEIN l. c.). Marem ignoro. De pictura pedum, interdum sat variabili, vide *Ichn. Suec.* l. c.

8. *I. falsificus* — Pag. 19.

In Smolandia (GADAMER); prope Holmiam (ZÄTTERLUND).

10. *I. leucocerus* — Pag. 22.

Feminam unicam prope Holmiam invenit ZÄTTERLUND. Species in Scandinavia certe rarissima est et antehac, quantum scio, semel tantum observata. In fagetis Germaniæ autem frequenter occurrit (TISCHBEIN).

8—9. *I. urticarum* HOLMGR. n. sp.

Parum nitidus, punctatus, ater; ♂: palpis ex parte, orbitis oculorum facialibus, lineis ad radicem alarum, scutello et tiliarum anticarum latere antico, albidis; alis fuscedine leviter tinctis, stigmate fulvo-testaceo, tegula nigra puncto albo; ♀: orbitis oculorum frontalibus angustissime, annulo antennarum, lineola infra alas, scutello et tiliarum anticarum latere antico, albidis; alis fuscescentibus, stigmate sordide fulvo-testaceo, tegula nigra; coxis posticis subtus nudis, simplicibus — ♂ ♀ (Long. 15—18 millim.).

Habitat in Westrogothia, ubi in monte Hunneberg marem unicum unicamque feminam detexi.

Caput pone oculos angustatum; temporibus et genis haud buccatis. Clypeus apice truncato. Antennæ setaceæ, apud feminam ante apicem vix dilatatæ, post mortem incurvatæ. Thorax, nitore exiguo, alutaceo- vel subrugoso-punctatus; parapsidis